

ascenderat, in quo ad modicum tempus confederat, iterum descendit, posita sede alia? Omittam tam absurdum. Textus ipse, præter id quod verbum Hebræum, sed sit, masculini generis est, ita cohæret: *& surrexit, & adoravit, & sedidit, & posuit* &c. quæ sane omnia ad Salomonem referuntur. Jam vero Salomon in throno regio sedens, utique sedidit, ut *REX*. Ergo sedens in throno suo regio, sedidit *superior* matre sua. Et Cornelius ipse de loco dextro loquitur ut honoratissimo, post locum & thronum regis. Unde sequitur exemplum Bathsabæ matris, sedentis ad dextram Salomonis regis & filii, non pertinere ad rem præsentem, neque illustrare sessionem Christi sedenris ad dextram Patris, quæ non est locus post thronum Patris honoratissimus, sed ipsa Patris, omnia gubernans, regnansque virtus.

§. 24. Etiam 7. locus Psalm. XLIV. sive XLV, 10. huc non facit. *Filiæ regum in honore tuo, adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato* &c. vers. 15. *omnis gloria filiæ regis ab intus* &c. vers. 16. *adducentur regi virgines, post eam proximæ ejus afferentur tibi*. Nihil hic de consortio throni regii, sed de honore, quo Augusta, sive regia conjux, afficitur, quæ filiabus regum, & virginibus cæteris, præfertur. 8. Ita habet etiam ille locus Ecclesiast. XII, 9. *non credas inimico tuo in æternum*. vers. 10. *sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius*, vers. 11. *& si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & custodi te ab illo*. vers. 12. *non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne conversus stet in loco tuo: ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam, & in novissimo cognoscas verba mea* &c. Qui enim applicabis ad sedentem a dextra Dei Christum id, quod Cornelius huic loco subjungit: *ut sc. te tua cathedra, loco & gradu deturbet, & a dextra tua, insiliat in cathedram tuam* &c. At vero Christus ad dextram Patris sedens, sedet in throno Patris. Ea vero ibi inter dextram, & cathedram hominis distinctio est, ut inimicus cathedram occupaturus a dextra insiliat in cathedram. Dextra hæc honoris, amoris est, & admissionis proximæ, & familiaritatis.

§. 25. Quod vero Cornelius 9. etiam in altero loco, qui §. 17. exscriptus est, & dicti Apostolici Hebr. I, 3. & symboli Apostolici, in quo Christus post ascensionem, sedere ad dextram Dei, dicitur, ita

C

sequi-

7.

8.

9.